

Epithalamium in nuptias  
illvstris ac magnifici  
D.Domini Christophori  
Monvid...

Bialozór, Gabriel



National Library  
of Sweden

EPITHALAMIUM  
IN NUPTIAS  
ILLVSTRIS  
AC MAGNIFICI D.  
DOMINI CHRISTOPHO-  
RI MONVID DOROHOSTAL-  
SKI, MARSALCI M. D. LITH:  
Volkovviscensis, Wielonensis &c.  
&c. &c. Capitanei, Magnifici  
Domini, ac Patruī. & Illus-  
trissimæ Dñæ, Zophiæ  
Radiuiliæ Du-  
cissæ, &c.

GABRIELIS BIALOZOR.

VILNÆ, Anno Dñi. 1597.

IN STEMMATA  
EIVSDEM MAGNIFICI  
DOMINI SPONSI



**S**I Proauum laudes Natorum stemmata signant,  
Quanta Dorhostiaden lausq; decusq; manet.  
Luna, Venusq; Polo radiant, & lilia terris,  
Sic mundo simili clarus honore viget.  
Illum dum tereti cernunt prostrernere pinu,  
Perniciem patriæ monstra prophana Scythas,  
Mars, & Diua suas submisso lumine Pallas,  
Ante pedes hastas deposuere sacras,  
Nec sat erat, Cæli, terræ, Diuumq; decores  
Vnius in laudes, diripuisse viri.  
Ipsa etiam clarum cupiunt animalia stemma  
In clypeum Grypho condecorare dato.

GAMELION  
AD ILLVSTREM  
AC MAGNIFICVM  
DOMINVM SPONSVM.

**I**Te mihi circum viridantes tempora lauri  
Ocyus: alma nouas mihi pronuba Cinxia tædas  
Dictat, & am sanctos myrto redimita capillos  
In partem Plaususq; vocat, Rirusq; iocosq;  
Et triplices Charites & vos sine felle Camcenæ.

Incipe festiuum mihi Dia Gamelia versum.  
Sat vobis lacrumæ dedimus. Non frigore semper  
Brumali miscent immitia murmura Cauri :  
Nec semper virides viduantur frondibus orni :  
Et quondam Zephyri spirat felicior aura  
Et quondam soluit caperantem Taurica frontem.

Incipe festiuum mihi Dia Gamelia versum.  
Monuidio thalami sociatur fædere Nympha,  
Qualis quæ cælo rutulat Dictymna sereno:  
Qualis floridulis rosa propter lilia, campis

A ij

Figite

Figite diffusos per limina sacra corymbos

Et circum niueâ postes prætexite lanâ.

Incipe festiuum mihi Dia Gamelia versum.

Lux felix, niueo, lux inscribenda lapillo,

Irradias tremulo tales quæ lumine tedas!

Quæ desponsa tuâ firmas connubia flammâ.

Quæ casto geminas mentes committis amore

Exere lucidulos sine nubibus, exere vultus.

Incipe festiuum mihi Dia Gamelia versum.

Nulla ætas, meliore iugo coniunxit amantes,

Nulla dies socios illuxit clarior ignes,

Nec cum se Thetydi fortis concordia Pelæi

Nec cum Thyrsigero iunxit se Cressa Lyæo,

Qualis Monuidio Sophiam quæ tradit habendam.

Incipe festiuum mihi Dia Gamelia versum.

Quàm benè cum casta geminatur turture turtur,

Quàm benè purpureis amici tur vitibus vlmus:

Tàm benè Monuidio compar Radiuillia nubis.

Fœminei flos illa chori; flos ille virorum.

Hæroum soboles ambo, virtute gemelli.

Incipe festiuum mihi Dia Gamelia versum.

Gaude si nigrâ tibi quis stat sensus in urnâ

Bellator Gedimin; iam clara stirpe nepotes

Perpetuos, gentisq; tuæ per nomen ituras

Illustres

Illustres animas, nullis virtute secundas  
Fatales stabili spondent tibi carmine Parcae.

Incipe festiūm mihi Dia Gamelia versum.  
Monuidij Litauæ quondam fundamina gentis,  
Nectite Daphneas rursus de fronde coronas,  
Cerno nouam, cerno Neulam considerare in ignes.  
Atq; aliam Litauis Susam popularier armis,  
Progenie laudes magnorum imitante parentum.

Incipe festiūm mihi Dia Gamelia versum.  
Sic olim : sed flamma strepit, sed flammea fulgent  
Nupta venit, io nupta venit, feliciter eia  
Dicite, & ad limen viuam disponite Vestam,  
En tibi luteolos artus velatus amictu  
Vt salit, vt pinu flammantem sustinet Hymen.

Incipe festiūm mihi Dia Gamelia versum.  
Fallimur, an præsest quoq; cætera turba Deorum?  
Namq; nec Alcidae tantum coniungitur Hebe  
Nec soli Thetydos thalamo spondetur Achilles,  
Et iam dextra volat casta cum coniuge cornix  
Inuisa'q; thoro Maij cessere Calendæ

Incipe festiūm mihi Dia Gamelia versum.  
Felices animæ, quibus hæc in iura coire  
Contigit, optato vos Diua Salacia portu  
lam locat, & tutam firmant retinacula puppim

Lilia nunc vobis tellus & amaracon edit.

Et gratas primi violas primordia veris

Incipe festiuium mihi Dia Gamelia versum.

Iungite felices dextras rumore secundo,

Alma quies, & casta fides connubia firment,

Quæ q̄ salutato crepitat concordia nido

Sic Iuno iubet, & iam Vesperus affulgescit.

Desine, iam satis est, mihi Dia Gamelia versus

Mōuidio Thalami sociata est sœdere Nympha.

## O D E.

Viuit per natos magnorum fama parentum.

**Q**uid iuuat vastum ratibus secare

Aquor? aut sœuas animare turmas

Aut diu duros subiisse casus

Martis iniqui?

Quid iuuat sacros animo triumphos?

Quid triumphales agitare lauros?

Si cadent nullo remanente tanta hæc

Cuncta Nepote.

Scilicet virtus sobolis perennis

Et relictorum series Nepotum,

Clarius

Clarius nomen faciet parentum

Ire per æuū,

Magnus ad Troiam fueras Achilles

Hōstibus fūsis, tamen inter omnes

Notior gnati superes superbi

Nomine Pyrrhi.

Quis sciat quondam bone te fuisse

Ductor Anchise, nisi magna cælo

Nomen æqualset celebremq; famam

Gloria nati.

Fallor, an tædas ideo iugales,

Magna magnorum soboles parentum,

Monuid, & castos iteras pudici

Fœderis ignes.

Luxit in magno facies parente

Stirpis & virtus Gediminis alti

Quicquid & claros decorauit olim

Laude parentes.

Facta nunc in te Patris en relucet,

Lucet & virtus : superest qu'od vnum

Luceat sera tua laus tuorum

Stirpe Nepotum.

EPI

Lilia nunc vobis t

Et gratas primi v

Incipe festi

lungite felices de

Alma quies, & cas

Quæ q̄ salutato cr

Sic Iuno iubet, &

Desine, iam sa

Mōuidio Tha

Viuit per natos

**Q**uid iu

A quor? au

Aut diu dur

Quid iuuat

Quid trium

Si cadent nu

Scilicet virt

Et relictoru

racon edit.

rdia veris

ia Gamelia versum.

re secundo,

ubia firment,

ordia nido

is affulgescit.

i Dia Gamelia versus

a est sædere Nympha.

in fama parentum.

atibus secare

are turmas.

asus

ui?

o triumphos?

re lauros?

nte tanta hæc

pote.

erennis

potum,

Clarius